



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani Cum Divorvm Elogiis In Singvlos Anni Dies Distribvtis

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, 1637

S. Lucianus M. 7. Ianuarii.

urn:nbn:de:hbz:466:1-44055

S. LUCIANUS M. 7. Ianuarii.

POSSUMUS hodie ignoscere Samosatæ, quando maximum probrum ingenti decore obruit, & LUCIANVM dedit, qui non jam rideret cælum, sed moreretur pro cælo. Duodennis puer poterat tamen pater dici, cum hereditatem paternam jam tunc pauperum prædam fecisset. Mox inter cœnobitas adscriptus, & Sacerdotio initiatus, Antiochiæ ludum literarium aperuit. Minerval pauperibus cessit, libros Christianos restituit, & sacra volumina, quæ dudum superstitione corruperat, ad Hebrææ linguæ regulam censuit. Sed Maximianus non nescius pietatem Christianam non posse rectius quam cum musarum lacte, literis inquam, instillari, ad pœnas magistrum tam sancti ludi vocat; quod tamen vel vultûs maiestate meliora persuadere LUCIANVS diceretur, non nisi velatis oculis huic impius Agamemnon locutus est. Promissis primò ingentibus in martyrem pugnavit, tum in cippum iniecit, post in testarum fragmina. Ultimò fame longâ ad deditiōem compellere est aggressus. Interea sacrificare constituit LUCIANVS. Mirantibus, qui id fieri posset, discipulis, cum aræ mensa abesset, Vos, inquit, in orbem me cingite, & templum eritis; sacra deinde pectori meo imponite; erit hæc viva ara. Dixit, fecit. Mox ad ingressos tortores ter clamat, *Christianus sum*, & subinde mortuus tacet. Funus nihilominus in mare projectum, saxo dexteræ appenso. Verùm truncum primò Delphin, semper hominum, sed martyrum præcipuè amans in litus extulit. Mox dextra etiam (à Musis credo) efferri, brachioque jungi visa est. Nos etiam manum tam doctam pro me-

ritis laudaremus, si ad nos Musæ manus illius stylum attulissent. *Surius.*

Corpora nostra aptemus in vivam Dei hostiam, ut sit fides vera, pura conscientia, cor mundum, caro casta, sanctus sensus, pius animus, vita sancta, verecundus habitus, & ad omne Christi obsequium humilitas nostrum semper comitetur incessum. S. Pet. Chryl. h. 109.

S. RAYMUNDUS CONF.

7. Ianuarii.

RAYMUNDVS nobili loco in Hispaniâ natus, cum lacte MARIAM imbibit. Ea deinde pietas cum puero crevit. Nam & in mundo adhuc cum ageret, sumptus non exiguos fecit, quo festus VIRGINIS ab Angelo Salutatae dies augustius ageretur, & postea in D. Dominici familiam cooptatus, ipsius DIVÆ monitu novæ societatis auctor fuit condendæ, quæ vindicandis in libertatem vinc-tis sese impenderet. Angelo, qui ei à puero datus est peculiaris, tam est usus familiariter, ut non rarò ad stas ab eo preces excitaretur. Cæterum cum pro eâ, quâ erat, Christianâ libertate, in non licitos Jacobi Aragonum regis amores gravius nequicquam invec-tus esset, & ex nautis regio edicto absterritis recipere eum jam nemo in navim suam vellet; novus nauta nova vela mari suspendit pallium suum, aspirante cælesti aurâ sex intra horas milliaria emensus c. LX. & Barcinonem appulsus, in cœnobium ad suos per oclusam portam ingressus est. Ibi cum è sociis unus aliquis gravibus tentationum fluctibus jactaretur, ubi primùm in manu litantis RAYMUNDI propitium illud sidus est intuitus, continuò suam menti reddi malaciam sensit. Argonauta verò noster portum